SECTIO I.

De mente humana.

Praeclarissimam ferunt veteris cuiusdam sapientis sententiam: *nosce te ipsum*. Et re quidem vera, ¿quid prodesse nobis possunt sublimiores scientiae, si nosmetipsos ignoremus? Si nesciamus ¿quid sit anima nostra, an spiritualis et immortalis? ¿Quodnam inter ipsam et corpus commercium intercedat? ¿Quae sint illius facultates? Hae autem cognitiones omnes ¿quid nobis prosunt, si animam ipsam perdamus? ¿Si ad veram immortalitatem, aeternam scilicet beatitudinem consequendam nostris facultatibus non utamur? Hinc patet tota praestantissimi argumenti divisio. Quae ad humanam mentem pertinent sub triplici potissimum ratione considerari possunt. Vel enim mens humana in se et absolute spectatur, vel in ordine ad corpus, vel tandem mentis humanae facultates aliquae considerantur.

CAPVT I.

De mente humana in se spectatâ.

Duo potissimum inquirenda occurrunt. Primum, an mens humana sit spiritualis, et a

corpore distincta: secundum, an sit immortalis.

ARTICVLVS I.

De mentis humanae spiritualitate.

I.

Mens humana est: *id quod in unoquoque nostrum cogitat*. A scholasticis vulgo definitur: *spiritus creatus incompletus*. Qua definitione secernitur ab angelo, quatenus mens humana destinata est informando corpori, et cum eo apta est constituere totum *substantiale*, nempe hominem.

II. Per *corpus* seu materiam intelligimus: *substantiam extensam, divisibilem, solidam, ex variis partibus variarum figurarum contextam*. Per *spiritualem* vero substantiam intelligimus: *substantiam expertem materiae, seu quae extensionem, divisibilitatem et soliditatem excludat*. Quaestio est igitur, utrum id, quod in unoquoque nostrum cogitat, sit substantia expers extensionis, divisibilitatis, soliditatis cet.

Inter veteres permulti fuerunt, qui materialem animam, et veluti quoddam tenuissimum corpus ex subtilissimis particulis igni vel aëri similibus, celerrimoque motu agitatis conflatam fecerunt. Neque etiam hodie desunt increduli perversique homines, qui eumdem perniciosissimum errorem tueantur. Cum hac

nefaria sententia confundi non debet haud satis accuratus loquendi modus a nonnullis scriptoribus ecclesiasticis aliquando usurpatus. Aliqui etiam ecclesiae patres humanam animam, angelos, Deum ipsum *corpus* vocarunt, sed alio plane sensu. Etenim quum incorpoream quamdam substantiam concipere vix possent; quidquid exsisteret, et a nihilo distingueretur, corpus vocabant ita, ut corporis nomine entia a nihilo secernere dumtaxat intenderent. At corpus illud a materia sive corporea substantia perspicue distinguebant; quum adfectiones illas atque attributa, quae corporeae substantiae sive materiae conveniunt, ab eiusmodi corpore seiungerent, ideoque nominis abusu dumtaxat errarunt. Ita Tertullianum excusavit S. Augustinus *de Genesi ad litteram lib.* 10. *cap. ult.*: *quia corpus esse animam credidit, non ob aliud fecit, nisi quod eam incorpoream cogitare non potuit, et ideo timuit, ne nihil esset, si corpus non esset.* His praemissis sit.

CONCLVSIO.

MENS HVMANA EST SVBSTANTIA SPIRITVALIS, SEV A MATERIA VEL CORPORE DISTINCTA ATQVE DIVERSA.

Prob. 1. pars: scilicet mentem humanam esse substantiam. Animam dicimus id, quod

in nobis cogitat; sed id, quod in nobis cogitat, est substantia. Et quidem experimur, cogitationes in nobis continuo mutari, alias aliis fluxu perpetuo succedere; sed *mutabilia*, quae enti insunt, *modi* dicuntur, et sine subiecto esse non possunt; ergo cogitationes sunt modi, qui sine subiecto esse non possunt. Illud autem subiectum est id, quod in nobis cogitat, quod proinde aliquo ad exsistendum subiecto non indiget: ideoque substantia est. Etenim si id, quod in nobis cogitat, dicatur indigere aliquo subiecto, hoc ipsum subiectum dicemus id, quod cogitat; ergo anima est substantia.

Prob. 2. pars. Et 1.°: principium operationum, quae ad materiam pertinere non possunt, est substantia prorsus distincta a materia, ac proinde spiritualis; atqui mens humana est principium operationum, quae non possunt ad materiam pertinere, nempe cogitationum, quarum quisque sibi conscius est; ergo mens humana est substantia spiritualis. Prob. min. Si cogitatio pertineret ad materiam, esset interna materiae *modificatio*. Quum enim cogitatio sit subiecti cogitantis actio interna, per quam res cogitans alio modo se habet ad se ipsam, interna est subiecti cogitantis modificatio; cogitatio autem non potest esse interna materiae modificatio. Si enim esset interna materiae modificatio, esset ipsa materia *modificata*; at-

qui cogitatio non est, nec potest esse materia modificata. Nam si ita esset, cogitatio haberet proprietates materiae: esset proinde extensa, divisibilis in partes, et figurata; quod absurdum est dicere. Etenim ¿quis possit a se obtinere, ut credat, intellectus actum, v. g. adsensum vel dissensum esse certo loci spatio diffusum, posse scindi in duas quattuorve partes, et habere figuram rotundam aut quadratam aut triangularem? Ergo cogitatio non potest esse materiae modificatio, ac proinde mens humana est principium operationum, quae ad materiam pertinere non possunt.

Prob. 2. Si cogitatio pertineret ad materiam, vel cogitarent singulae materiae particulae, ex quibus componeretur corpus cogitans, vel non; utrumque absurdum est; ergo cogitatio ad materiam pertinere non potest, adeoque anima non est materia. Minoris 1. pars ostenditur. Si cogitarent singulae corporis particulae, vel cogitatio esset tota in singulis, vel partim in una, partim in altera; neutrum autem dici potest: non primum, alioqui tot erunt substantiae cogitantes, quot partes. Verum non dubia conscientia novimus, unum aliquid et simplex in nobis cogitare. Praeterea si tot essent cogitationes, quot partes, de illis singulis partibus eadem, quae de toto corpore cogitante, quaestio semper institui posset, num scilicet

singularum illarum partium particulae in infinitum divisibiles cogitent vel non. Si dicerentur cogitare, ergo essent actu in nobis infinita numero entia actu cogitantia seorsum, quaeque proinde separata, dum corpus in pulverem reducitur, etiam cogitarent ita, ut deinde in plantis, in terra, in lapidibus aliisque corporibus, in quae transiret corporis nostri substantia, essent infinitae actu particulae cogitantes, quod est absurdum. Si vero illae partium cogitantium particulae in infinitum divisibiles non cogitent, inde etiam illud sequitur, cogitationem scilicet esse partim in una parte, partim in altera, quod quidem absurdum est. Etenim cogitatio non ita potest in partes dividi, ut media pars cogitationis dicatur esse in una materiae parte, media pars in altera. Neque enim extensa est cogitatio, nec concipere valemus mediam aut quartam aut millesimam ullius cogitationis simplicis partem ab aliis partibus separatam. Deinde secta in partes cogitatione, nemo posset adfirmare, se aliquid percipere. Siquidem unaquaeque pars non cogitaret totum aliquot, sed aliquam dumtaxat totius partem: non ipsa cogitationum partialium collectio totam rem aliquam perciperet, quum una earum nesciret, quid perciperet altera. Haec de 1. minoris parte.

Minoris 2. pars probatur, nempe ex partibus materiae non cogitantibus numquam

fieri posse corpus cogitans. Etenim in earum partium non cogitantium dispositione qualibet nihil deprehendi potest, quod cogitationem producere valeat. Illa enim varia partium dispositio fieri non potest, nisi per variam partium distantiam, contactum, motum, quietem, figuram cet.; sed haec omnia nihil continent, quod ullam possit cogitationem producere. Nam quomodocumque moveantur corpora, quaecumque sit corporum distantia, figura cet. illa partium non cogitantium varia dispositio numquam poterit esse cogitatio, nec cogitationem poterit continere; effectus autem in sua causa contineri debet, et ex nihilo produci nequit; ergo particulae materiae non cogitantes quomodocumque inter se dispositae, numquam poterunt fieri corpus cogitans.

Prob. 3. Substantia, quae vel uno temporis articulo terrae viscera rimatur, coelum immensum cogitatione percurrit, raptim evolat in sinum Dei, spirituum coetus perlustrat, orbem universum pervadit, obiecta immaterialia, incorporea, sensibus impervia percipit: puta, virtutis honestatem, vitii foeditatem, aequitatis et iustitiae regulas, numerorum habitudines et proportiones, sensuum ipsorum errores, ignorantiae turpitudinem, scientiarum utilitatem ac decus, est vere ac proprie spiritus, non materia. ¿Qui enim intelligi potest, substantiam corpoream atque

inertem in spatia immensa unico temporis puncto transferri: res immateriales nostrisque sensibus minime obnoxias percipere? atqui hominis anima est substantia huiusmodi, ut cuilibet constat intimo conscientiae testimonio; ergo mens humana est vere et proprie spiritus.

Prob. 4. Sensationum nostrarum varietas, uniformitas, molestae sensationes in nobis etiam invitis excitatae, voluntatis imperium in plurimos sensationum effectus: haec omnia conscientiae nostrae testimonia certo demonstrant, non solum obiecta extra nos et extra mentem ipsam exsistere, sed etiam obiecta illa mentemque nostram essentialiter differre, manifeste ostendunt. Et quidem si mens nostra ab ipso corpore non differret, nulla umquam esse posset illa, quam tamen in nobis saepe experimur, inter sensationum effectus ipsamque voluntatem discordia et mutua veluti pugna: obiectorum externorum effectus in anima productos, nisi anima spiritualis sit, nulla ratione intelligi posse, evidens est. Fingamus, animam esse materialem: obiecta externa nullam aliam menti nostrae mutationem adferre possunt, praeter varias motus, loci vel figurae determinationes, quod quidem patet, et ab omnibus conceditur; sed haec omnia cum ideis in anima productis nullam relationem habent. Huius argumenti ut sentiatur vis certe maxima et insuperabilis, vo-

cis *Dei* exemplo utemur. Dum auditur vox ista *Deus* latina, vir linguae latinae omnino imperitus, audito hoc vocabulo, eumdem omnino experitur motum in singulis organi auditorii fibrillis, ac si latine sciret. Igitur anima materialis iisdem omnino motibus obnoxia foret in cerebro hominis linguae latinae imperiti vel bene docti, ac proinde in utroque casu vocabuli significationem aeque intelligeret. Quod autem res aliter se habeat, proculdubio repetendum est ex linguarum institutione mutuaque hominum conventione. Porro mutuae huius conventionis capaces esse non possunt substantiae mere materiales, in quibus scilicet iidem soni eosdem motus producerent, ac proinde et easdem sonorum notiones eamdemque vocabulorum intelligentiam; quod experientiae et rationi repugnat. Illa igitur conventio ad aliam substantiam, quae spiritualis est, necessario pertinere debet.

SOLVVNTVR OBIECTIONES.

Obiect. 1. Sine ulla ratione negatur, cogitationem convenire materiae, nisi omnes materiae modos cognoscamus; atqui omnes materiae modos nec cognoscimus, nec possumus cognoscere; ergo cogitatio potest materiae convenire. Resp. N. mai. Nam etiamsi non cognoscamus omnes materiae modos, tamen certo scimus, materiae convenire non

posse modos contradictorios. Porro si materia cogitaret, ipsi convenirent modi contradictorii. Nam cogitatio excludit partes, extensionem, figuram, divisionem et motum: haec autem omnia includit materia; ergo materia haberet proprietates contradictorias, si vi cogitandi praedita esse posset.

Inst. 1. Licet cogitatio non sit extensa, dividua et figurata; tamen potest esse modificatio materiae. Et quidem motus et quies sunt modificationes materiae, nec tamen sunt aliquid extensum et divisibile; ergo materiae convenire potest cogitatio. Resp. N. ant., ad cuius probationem dico, modificationem materiae duplicis esse generis. Alia est modificatio *externa*, sive modus, quo res aliqua sese habet ad res alias extra se positas; alia est modificatio *interna*, sive modus, quo res aliqua sese habet ad se ipsam. Porro motus et quies sunt modi, quibus corpus se habet ad partes spatii, seu ad corpora circumstantia: motus scilicet est modus, quo corpus locis pluribus successive respondet; quies vero est modus, quo corpus eidem loco permanenter respondet, ac proinde motus et quies sunt modi materiae pure externi. Potest quidem materia habere modificationes pure externas, quae neque sint extensae neque divisibiles neque figuratae. Nam illae modificationes non sunt extensae neque divisibiles neque figuratae, quae sunt meri respectus,

merae relationes nihil mutantes in ipsa re; at materia non potest habere modificationes internas, quae neque sint extensae neque divisibiles neque figuratae. Istae enim modificationes sunt ipsamet materia in se et absolute spectata: figura materiae v. g., quae est interna materiae modificatio, est absolute et in se ipsa materia, proindeque extensa et divisibilis. Quum ergo cogitatio sit subiecti cogitantis modificatio interna, actio nempe, per quam res cogitans alio modo se habet ad se ipsam, non potest convenire materiae, nisi ipsa sit divisibilis et extensa; ergo quum non sit divisibilis et extensa, non potest pertinere ad materiam; pertinet ergo ad aliam substantiam, ad spiritum scilicet.

Obiect. 2. Anima easdem habet modificationes ac corpus; etenim pro variis corporis motibus et effectibus varias suscipit cogitationes; ergo anima eamdem omnino naturam habet cum materia seu corpore. Resp. N. ant., ad cuius probationem dico, animam quidem pro variis corporis motibus varias suscipere modificationes: ita pro variis sensuum externorum motibus varias habet sensationes, pro varia oculorum commotione varios percipit colores, sonos varios pro vario aurium pulsu. Non tamen iccirco anima easdem habet ac corpus modificationes; modificatio enim corporis est motus, figura, situs cet., quas quidem modificationes a cogitatione longe diversas esse demonstravimus.

Inst. 1. Anima laeso corpore laeditur; ergo operationes animae sunt modificationes materiae. Resp. dist. ant.: anima laeso corpore laeditur, sed *diverso modo*, esto ant. *eodem modo*, N. ant. et cons. Laeditur enim corpus, quatenus nexus partium corporis aut dissolvitur aut vehementius impellitur: anima vero laeditur, quatenus ex occasione laesi corporis in ea excitatur pro legibus coniunctionis animae cum corpore sensatio gravis et molesta, quae *vulnus* quoddam *animae* dicitur. Dixi *esto antecedens*, quia nonnumquam anima in rei alicuius consideratione sic defixa haeret, ut laeso corpore, nihil doloris sentiat.

Obiect. 3. Non desunt philosophi, et quidem primi nominis, qui materiae elementa simplicissima omnino esse, indivisibilia et inextensa, pro certo adfirmant, idque multis conantur demonstrare argumentis; ergo in hac hypothesi, quae non solum non repugnat, sed firmissimis sese tuetur rationibus, statim philosophis eripiuntur praecipua argumenta, quae ab extensione et partium compositione deduci solent, ac proinde absurdum non est, operationes animae esse modificationes materiae Resp. C. ant., N. cons. Quidquid sit de illa hypothesi, quam strenue propugnant doctissimi quidem philosophi non pauci; firmissima tamen manent argumen-

ta hactenus explicata. Et certe quum materia ex elementis sive extensis sive inextensis composita sit, ut omnes philosophi concedunt; totam vim servant argumenta, quae ex materiae compositione deducuntur. Hac enim ratione argumentari licet: vel cogitarent singula inextensa materiae elementa vel non; utrumque autem absurdum esse, ex conclusionis probatione facile colligitur; ergo necessum est, ut praeter simplicissima materiae elementa, quibus cogitatio competere non potest, aliae admittantur diversae omnino naturae simplices substantiae, quae cogitationis capaces sint, illasque solas appellabimus substantias spirituales, parum solliciti de intima corporeorum elementorum natura, quae quidem quaestio ad praesentem locum non pertinet. Ceterum accurate distingui debet *simplicitas* vel inextensio ab ipsa *spiritualitate*. Atque ita evidens fiet, praecedentes probationes a philosophicis hypothesibus non pendere, quod quidem probe observandum est. Quamvis enim divina revelatione certissime constet animae spiritualitas; tamen contra incredulos perditosque homines summo studio urgeri debent demonstrationes philosophicae, neque haec arma e nostris manibus eripi permittendum est, quod facere conantur infensissimi quidam christianae, immo et omnis religionis hostes.

ARTICVLVS II.

De mentis humanae immortalitate.

I.

Exsistentia Dei et immortalitas mentis humanae sunt duo prima principia, quibus universa religio innititur. Si enim alterutrum ex illis convellas, iam omni flagitio latissimum reseras ostium. Si nihil est sperandum vel timendum post hanc vitam, quo iam freno coërcere poteris insanas mortalium cupiditates?

II. *Immortalitas* definiri solet: *perpetua entis viventis duratio*. *Entis* quidem *viventis*, hoc est, habentis in se actionis alicuius principium; nam etiamsi aliqua materia non vivens in aeternum duratura esset, dici non deberet immortalis.

III. Immortalitas duplex distinguitur, alia *absoluta*, alia *relativa*. Immortalitas *absoluta*, quae *intrinseca* dici potest, convenit enti viventi nullum habenti in se et ex natura sua principium interitus. Immortalitas *relativa*, quae etiam *intrinseca* dici potest, convenit enti viventi, quod non potest ab alio ente externo destrui vel annihilari.

IV. Soli Deo convenire immortalitatem tum absolutam tum relativam, certum est. Nam solus Deus ita necessario exsistit, ut

neque a principio interno, neque ab ulla causa externa destrui possit. Vnde mens humana et quilibet creatus spiritus non habent immortalitatem relativam in omni sensu. Quamvis enim non possint destrui et annihilari ab alio ente creato, possunt tamen absolute annihilari a Deo.

V. Quum ergo quaeritur, an mens humana sit immortalis, quaestio non est, an a Deo absolute annihilari possit, sed quaeritur dumtaxat: I. an mens humana nullum habeat in se et ex natura sua principium interitus: II. an nulla in toto mundo exsistat causa creata externa mentem potens destruere: III. an Deus nolit eam annihilare, aut eam mutare umquam ita, ut facultates vitales, quas in ea deprehendimus, amittat. Hic est status quaestionis, qui quidem probe attendi debet.

VI. Fide certum est, mentem humanam non interituram cum corpore, et in aeternum duraturam viventem. Hinc Christus Dominus *Matth.* 10. *v.* 28.: *nolite*, inquit, *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*; et *Iohann* 22. *v.* 25.: *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.* Innumera alia sunt desumta ex revelatione argumenta, quibus humanae mentis immortalitas extra omnem dubitationem ponitur Verum ea heic non attingimus, ne in alienam

messem falcem iniiciamus; non enim auctoritate, sed ratione tantum hoc loco agendum nobis est. Quumque lateranense concilium sub Iul. II. et Leone X. celebratum philosophos omnes *sess.* 8. excitet, ut ad istam capitalem in christiana religione veritatem demonstrandam omnes ingenii vires adhibeant; nostrae sunt partes, ex innumeris paene rationibus, quas veteres et recentiores philosophi attulerunt, efficaciores in medium proferre.

CONCLVSIO.

MENS HVMANA EST IMMORTALIS.

Prob. 1. nullo corruptionis genere mentem humanam interire naturaliter posse. Etenim substantia spiritualis nullo modo perire aut corrumpi naturaliter potest; atqui (*ex praeced. conclusione*) mens humana est substantia spiritualis; ergo anima humana perire non potest, adeoque est immortalis. Prob. mai. Substantia spiritualis est substantia simplex seu nullis constans partibus (*ex superiori conclusione*); atqui substantia simplex nullo modo perire aut corrumpi naturaliter potest; ergo substantia spiritualis nullo modo perire naturaliter potest. Prob. min. 1. Perire aut corrumpi non potest divisione aut dissolutione, quum sit partium expers

et realiter indivisibilis. II. Non compositione, quia licet ipsi adnectantur vel alia quotlibet corpora aut mentes aliae semper in se simplex et eadem remanet. Etenim corpora aut mentes substantiam simplicem alterare aut interius mutare nequeunt. In ea enim nihil transponere, nullum motum internum concipere licet, qui excitari, dirigi, augeri aut diminui possit, quemadmodum in compositis contingit, ubi mutatio inter partes locum habet. III. Denique in substantia simplici intus non latent principia, quae eam annihilare vel destruere possint. Evidens enim est nullam substantiam posse semetipsam in nihilum redigere. Etenim nihil in rerum natura sibimetipsi contrarium est, sed res singulae, quae exsistunt, habent semper in se rationem, qua sunt id, quod sunt. Nec minus evidens est, substantiam partium expertem non posse nec divisione nec compositione nec motu nec alia quacumque ratione sese destruere. Ex his omnibus patet, substantiam simplicem neque ab ulla causa externa neque ab interna naturaliter posse aut corrumpi aut destrui; ergo substantia spiritualis ac proinde mens humana nullo corruptionis genere naturaliter interire potest.

Prob. 2. mentem humanam a Deo numquam annihilari, nec ita umquam mutari, ut facultates vitales amittat. Plurima Proferuntur

argumenta, quorum praecipua seligemus.

Primum. Substantia spiritualis semel condita non est deterioris conditionis, quam substantia corporea; atqui corpora semel creata Deus non annihilat; ergo nec substantias spirituales. Et certe quum reductio in nihilum ex se tam conceptu difficilis sit, quam eductio e nihilo; philosophis olim visum est: *gigni de nihilo nihil, in nihilum nihil posse reverti*, ex Persio *satyra* 3. Hic igitur ordo ab omnipotente Deo in rebus creatis constitutus videtur, ut quas e nihilo semel eduxit creaturas, perpetuo conservet. Ideoque fieri non potest, manente illo ordine, quem in corporibus observari videmus, ut substantia spiritualis pereat. Hunc ordinem observari in mundo intellectuali, sicut in materiali, probare possemus ex variis sacrae scripturae testimoniis. Sed quia heic non revelatione sed ratione tantum naturali utimur, veritatem hanc demonstramus ex praestantia mentis humanae, et ex eius analogia cum corpore. Si enim Deus conservat corpora omnia ita, ut tot sint materiae atomi, quot ab initio fuerunt, ¿quomodo fieri posset, ut conditor optimus mentem humanam, cuius officium est Deo vivere, et finis propter ipsum Deum vivere, destrueret et in aeternum annihilaret?

Secundum. Quaedam sunt heic a nobis sumenda postulata, quae certe sine iniqui-

tate summa negari non possunt. I.um est, humanum genus initium habuisse. Quod quidem ex omnium gentium historiis, ex eorum, quae narrant, serie, ex artium novitate aliisque certissimis argumentis constat. II.um est: causam humana natura praestantiorem humano generi ortum dedisse; nam nihil potest per se e nihilo emergere. III.um est: a supremo rerum omnium auctore nos hisce in terris positos fuisse, non ut nobis noceret, sed contra, ut benefaceret, quod nobis constat ex omnis generis bonis, quibus nos circumdedit beneficentissimum numen. IV.um est: eam esse humani generis constitutionem, ut sine extremis malis homines mutuis officiis carere nequeant. ¿Quis enim solus in desertis sine ulla ope humana parare sibi poterit subsidia omnia ad vitam commode degendam, et ad facultates suas perficiendas necessaria? His praemissis postulatis, quae in dubium vocari nequeunt, nunc fingamus, omnia humanitatis officia sibi invicem homines exhibere ita, ut totum humanum genus amice conviveret, non secus ac cognati iique amicissimi vivere solent. Nihil videretur postea hominibus expetendum, nisi ut morbis omnibus carerent, talisque vita aeternum duraret; aut saltem, si amittenda esset, alia non deterior succederet. Hinc sequitur, tot bona, quae a Deo accepimus, omnia futura esse inania, nisi perpetua felicitate fruamur. Nam quamvis bonis omnibus

quae in hac vita mortali possunt comparari, frueremur; quando iis carendum esset et moriendum, tunc temporis praeterita omnia bona veluti in venenum conversa nos acerbissime cruciarent. Iam vero si moriendum esset sine ulla spe futurae post hanc vitam beatitudinis, beneficum optimumque numen tot bonis videretur nos cumulasse non benefaciendi causa, sed potius ad irritandam nostram cupiditatem, cui tamen nulla ratione satisfactum vellet ita, ut aliqua beatitudinis parte veluti nobis ostensa, eam subito omnemque spem eriperet, et nos ad ultimam desperationem adigeret, quo quidem crudelius nihil fieri potest. Igitur aut eum, a quo tot et tanta beneficia collata sunt, omnium crudelissimum esse, dicendum esset, aut ab eo negari beatitudinem, quia eam dare non potest. Prius impium omnino est et iniquum. Etenim qui nobis tot et tanta dedit bonitatis indicia, hunc crudelitatis suspectum habere, impium simul et iniquum est. AEque absurdum est dicere, Deum non posse nobis beatitudinem dare Qui enim potuit efficere, ut esse inciperemus; ¿an non poterit efficere, ut aut pars nostri post mortem aeterna sit, aut totus homo etiam denuo vivat? Posterius certe non est priori difficilius. Inde igitur colligere licet, Deum et velle et posse nos aeterna donare beatitudine, quam nos consequi non possumus, nisi saltem ea

pars nostri, quae intelligit, vult, sentit, aeternum vivat, ideoque nisi mens nostra sit immortalis. Haec nostra ratiocinatio demonstrat, Deum bonitati suae convenienter non acturum, si nullam hominibus aeternam beatitudinem concederet, quamvis alioquin omnibus huius vitae bonis fruerentur. At multo maioris erit ponderis tota ratiocinatio, si quod res ipsa est, animadvertamus: neminem his omnibus bonis frui non solum propter corporis infirmitatem aliosque inevitabiles casus, sed potissimum propter violatam legem, quam natura ipsa et hominis constitutio nos docent. Etenim quum homines heic in terris a Deo collocati sese invicem adiuvare debeant, eo miseriores sunt, quo minus sibi mutuum auxilium praebent; quo amplius autem, eo feliciores. At quotidiana experientia notum est, plerosque homines adfectibus obcaecatos sibi invicem, quam maxime possunt, nocere. Vnde aliquando infelicissima fit haec vita, atque non raro contingit, ut qui maxime omnium divinae voluntati convenienter vivunt, aliosque homines beneficiis amice iuvant, ii demum sint mortalium infelicissimi.

Hoc posito, quaerendum, an ex his, quae de Deo novimus, possimus conficere, Deum aliquando tandem eorum habiturum esse rationem, qui legem naturae humanae ab ipso Deo conditam observant, et tamen vitam infelicem degunt. Et certe qui vitam hominibus dedit, non ut iis faceret male, eosque ita constitutos esse voluit, ut mutuo auxilio indigerent; idem sine dubio vult, ut sese adiuvent, ideoque eorum probat vitam, qui id faciunt, ad quod sunt a natura sua comparati. Credibile autem non est, eos in hac vita miseros esse, neque post hanc vitam quidquam mercedis accipere. Sibimetipsi contradiceret, qui homines eius voluntati maxime obtemperantes omnium pessime haberi pateretur. Igitur ex miseriis, quibus viri probi in hac vita saepissime torquentur, certissime colligimus, mentes esse immortales.

Tertium argumentum multa complectitur, et desumitur ex spirituali et incorruptibili mentis alimento, ipsa nimirum veritate, quam sitit esuritque anima nostra: ex praeteritorum memoria ac futurorum providentia: ex studio virtutis et famae perennis consequendae desiderio: ex conscientiae stimulis, quibus improbi in articulo mortis lacerantur: et ex conscientiae bonae testimonio, quod bonos mira dulcedine et ineffabili quadam aeternarum deliciarum praelibatione perfundit: ex consensu praestantissimorum sapientium tum apud gentiles, tum apud christianos, immo etiam gentium maxime barbararum, quibus sancta fuit sepulchrorum cura. Non leve etiam momentum habet consensus aetatum omnium, religio omnium populorum, qui in-